



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118847**

§. 80. Bethlemius Gabor in Hungariæ Regem proclamatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

Sæc. XVII. Colaltus Comes Cæsaris Legatus, una  
 A. C. 1620. cum quodam Nobili Hungaro aliisque  
 Neosolium venerat, qui Hungaris cri-  
 mina in Cæsarem perpetrata expro-  
 brans declarabat, quod si a rebellium  
 fœdere non abstinerent, Clericisque  
 tam bona propria, quam suffragii jus,  
 locumque in Regni comitiis non resti-  
 tuerent, Cæsari nec animum nec vires  
 ad coercendam eorum perfidiam defu-  
 turas scirent. Attamen hi leges dare,  
 non vero accipere assueti, caussaban-  
 tur, quod hi Cæsaris Oratores plena  
 agendi potestate itidem non essent in-  
 structi, eoquod in eorum literis de fœ-  
 deratis Provinciis nulla mentio fuisset  
 facta, proin aut ampliores literas Vien-  
 na secum afferrent, aut, quod melius  
 foret, haud ultra ad hæc comitia re-  
 dirent, cum ab Ordinibus, id, quod  
 moris est, iis etiam absentibus decer-  
 nendum esset: Dato rudi hoc responso  
 Hungari Cæsareos, Gallos, & Polo-  
 nos Oratores, rebus infectis dimise-  
 runt.

## §. LXXX.

*Bethlemius Gabor in Hungariæ Re-  
 gem proclamatus.*

Ortet. pag. 73. Cum igitur nonnisi Fœderatorum Pro-  
 vinciarum Oratores remansissent,  
 Calviniani Hungariæ Ordines, quod  
 dudum

dudum animoolvebant, exequi festi-  
 nabant, unice intenti, ut novi Regis  
 electione Austriacam domum ab avita  
 Regni possessione excluderent. Jamjam  
 plurimorum suffragia in Gabrielem Beth-  
 lemium conspirabant; non deerant ta-  
 men, qui ejusmodi propositum vehe-  
 menter improbarent; unde gravis inter  
 eos altercatiooriebatur, parumque ab-  
 erat, quin Pragensium more obsisten-  
 tes e fenestris projicerentur, quinimo  
 ex Optimatibus unum, qui acrius re-  
 pugnabat, jamjam magis furiosi corri-  
 piebant, atque ad fenestras raptum ex  
 alto præcipitem dedissent, nisi violen-  
 tiæ obstitissent moderatiores. Tandem  
 vero animis, suffragiisque potissimam  
 partem unitis, urgente Turcarum Le-  
 gato die vigesima quinta Augusti Beth-  
 lemius in Hungariæ Regem eligitur,  
 a Regni Palatino proclamatus, qui solem-  
 nem sui inaugurationem Posonii, ubi  
 Regni corona asservabatur, ad Octo-  
 bris initium distulit. Biduo post Tran-  
 sylvani quoque Proceres mutuo Hun-  
 garorum, ceterorumque sociorum fœ-  
 deri accessere, quorum suppetiis fretus  
 Gabor, soluto Neosolano conventu, in-  
 gentem quinquaginta ferme equitum,  
 peditumque millium exercitum collegit,  
 ut uno agmine Styriam invaderet, alio  
 Bohemis opem ferret: quo cognito  
 Pro-

Sæc. XVII.  
 A. C. 1620.

*Pannon. nova  
 Et vetus Ha-  
 ni p. 331.  
 Massen.*

*Annal. Trev.  
 pag. 467.*

*Merc. Gal-  
 leb. tom. 13.  
 l. 2. p. 166.*

Sæc. XVII. Protestantes, qui Viennæ morabantur, A. C. 1620. datis literis eum hortati sunt, ut civitati, & Regioni, propter innocentes eorum liberos, uxoresque parcere vellet. Imperator autem urbem necessaria annona ad semestre instrui jussit, sui que exercitus partem ex Bohemia revocans, suppetias etiam a Bavarix Duce sibi submitti petiit, veritus, ne Gabor inopina vi Posonium, & Viennam infestaret.

## §. LXXXI.

*Bethlenius Gabor Cæsarem apud Turcarum Imperatorem traducere conatus.*

*Aub. Miræus comm. de bello Turcico p. 8.*

Jam dudum Bethlenius Gabor totus in eo erat, ut partim precibus & literis, partim promissis, amplissimisque muneribus Turcas, Tartarosque in Ferdinandi Cæsaris perniciem evocaret; cum autem hucusque spe sua frustratus esset, subactis Bohemis, fusoque Palatino rem potentius urgendam censuit, ad solitas igitur fraudes conversus literas Hungarico idiomate, perinde acsi a Ferdinando Cæsare pro Turcis inopino invadendis scriptæ essent, confinxit, easque Regii sigilli, & chyrographi Ferdinandæi exacta imitatione muniri jussit, illasque velut oportuno